



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. XVI. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

sanè est persuasio universalis omnium, DEUM velle, sibi exactè obediri. ad prob. dist. ant. reges creati ostendunt se offensos, si ipsis loquentes non utantur summâ reverentiâ, & attentione, quando hanc circumstantiâ exigunt. conc. ant. semper, & in omnibus circumstantiis, neg. ant. & conf. Reges isti, saltem si prudenter se gerant, non exigunt eam reverentiâ, & attentionem, semper, & ab omnibus, qui cum ipsis debent familiariter, quot horis, aut momentis, agere; hoc enim esset moraliter impossibile, nec ipsis principibus gratum: sed tantum exigunt eam reverentiâ ab iis, qui rariis, aut in solemnioribus circumstantiis, sibi assistunt, quod moraliter fieri potest. Sic etiam DEUS non exigit, saltem sub gravi, reverentiâ in omnibus orationibus: quia hæc sapientissimè fiunt, & difficultas in procuranda semper attentione, etiam interna (quam creati reges non attendunt, advertit tamen DEUS) est valde magna: at verò exigit DEUS eam attentionem aliquando, in circumstantiis solemnioribus e. g. in consecratione SS. Eucharistiæ &c. unde non minus, sed magis, exigit DEUS, sibi exhiberi reverentiâ, & attentionem: atque adeò argumentum à pari est firmum.

Confirm. conclusio. Reverentiâ, supremo legislatori debita, videtur sanè à nobis exigere, ut tunc saltem ejus legibus nos subjiciamus, quando earum existentia nobis notabiliter probabilior apparet, ita, ut eam possimus prudenter affirmare, non autem prudenter negare: ergo, antec. probatur ex frequentibus S. Scripturæ locis, ac SS. Patrum sententiis, quibus Divinæ legis amor, & observantia, nobis impensissimè commendatur; hujus enim commendationis exigua ratio haberetur, si neque tunc nos legi submitteremus, quando notabiliter probabilis innotescit; cum tamen major notitia ut plurimum haberi non possit. Et hoc saltem tamdiu verum haberi debet, quamdiu non efficacibus, quales adversarii non afferunt, rationibus ostenditur, DEUM à nobis hoc non exigere.

ARTICULUS XVI.

Solvuntur Objectiones.

367. **O**B. 1. Autoritas antiquorum est omnino dubia; nescitur enim, de quibus sententiis minus probabilibus locuti sint, an de sententiis tantum directe in se consideratis, sine circumstantiis quibusdam, etiam extrinsecè advenientibus, & obiectum extrinsecè mutantibus: qua ratione non essent contra recentiores, qui & ipsi negant, talem sententiâ ita nudatam sequi licere: an verò locuti sint de sententiis consideratis, cum extrinsecis circumstantiis, auctoritate, principiis reflexis &c. quas ut ita vestitis, dicunt recentiores, licitum esse sequi: sed ex dubia auctoritate nihil probatur: ergo. Resp. neg. maj. Antiqui acceperunt sententias minus probabiles, eo in sensu, in quo eas modò accipiunt recentiores; nam eodem modo loquuntur, ut patet ex textibus à num. 355. citatis, & pluribus aliis videndis apud Ralslerum in norma recti. disp. 3. q. 8.

4. 2. Unde, sicut recentiores loquuntur de sententiis ut vestitis, ita etiam antiqui locuti sunt: ergo tam parum est dubia auctoritas antiquorum, quam parum dubia est auctoritas recentiorum.

Hoc tamen facile concedo, quòd, sicut recentiores, dum aliquam sententiâ afferunt minus probabilem, nondum considerant eam ut vestitam principio illo suo reflexo; Probabilis licitum est, sequi quamvis sententiâ verè probabilem (nam hac ratione, sententiâ prius, seu in se, minus probabilis, fit juxta ipsos magis probabilis) ita neque antiqui sententiâ aliquam considerant ut vestitam hoc principio. Et sanè, cum de hoc ipso principio disceptaretur, an verum esset, imò antiqui communiter negarent, id esse verum, non potuerunt illud supponere, eoque sententiâ minus probabilem antecederet vestire. Nec dicas, antiquos tantum negasse, quòd licitum sit, agere cum ultimo dictamine conscientie minus probabili; hoc enim est falsum; quia loquebantur de probabilitate, quæ præsupponebatur ad conscientiam, seu dictamen illius, ut patet ex S. Antonino cit. num. 355. imò aliàs ex Alberto ibidem citato sequeretur, quòd ambiguus, seu dubitans actu practicè, sive in ultimo dictamine, in utramque partem licet ageret, quidquid eligeret, quod admitti non potest.

368. Ob. 2. Sententiâ de licita praxi opinionis minus tutâ, & minus probabilis, fuit ultra centum annos, communis in Ecclesia DEI: ergo universaliter errasset Ecclesia, si sententiâ hæc non esset vera: atqui hoc DEUS non potuit permittere: ergo. Confirm. 1. Prudenter agit, qui sequitur præeuntes tanto tempore innumeros doctores, docentes, licitum usum sententiæ minus tutæ, minusque probabilis: ergo non peccat; quia peccatum non potest prudens esse. Confirm. 2. Vel isti auctores benigniores fuerunt cæci, vel videntes: cæcos dicere, est inferre viris sapientissimis injuriâ: si autem videntes fuere, tunc viderunt etiam nostras rationes; cumque tamen iis moti non sint, signum est, eas non esse efficaces: ergo.

Resp. Si adversarii possunt hoc deglutire, quòd doctores longè diuturniori tempore erraverint, imponendo hominibus onus, quòd DEUS non imposuerat, quòdque suo modo erat occasio peccatorum formalium, cur non potuerint minori tempore errare alii, & quidem errore, tantum inducente ad peccata materialia? Certe, ut jam dictum n. 260. inevitabiliter admitti debet, quòd aliquando longo tempore erraverint doctores: nec tamen propterea erravit Ecclesia; quæ nunquam ullam ex his duabus sententiis definivit; quamvis autem magna pars fidelium erraverit in opinando, & multi etiam in operando, non tamen errarunt omnes: & etiam istos, bona fide excusatos fuisse, facile concedo.

369. Ad 1. confirm. dist. antec. Prudenter agit, qui sequitur præeuntes innumeros doctores, si non stet in oppositum moraliter æqualis autoritas, & ratio gravior. conc. antec. secus. neg. antec. & conseq. & retorqueo argumentum. Imprudenter agit, qui non sequitur innumeros, & gravissimos doctores, per longius tempus præeuntes viam rectiorem ad co-

lum, & simul graviolem rationem habentes: ergo peccat. Ad 2. confirm. Si adversarii audient, antiquos dicere cacos, non possent nos arguere irreverentiae, si etiam tales diceremus recentiores. Resp. tamen cum majori reverentia facile. neg. ma. datur enim medium, scilicet fuerunt minus videntes, & aut rationes nostras, non ita considerarunt, aut ad alia distrahi, vel aliter impediti, non ita penetrarunt. Nec est irreverens, hoc etiam de magnis viris circa particularem aliquam sententiam judicare; aliis nunquam posset quis ab ulla sententia alicujus magni viri recedere. Scilicet posteri etiam plura discunt, ac praecedentium laboribus, ceu scalis adjuti, saepe altius ascendunt, & semper plura cum tempore clarescunt.

370. Dices 1. Etiam Summi Pontifices usi sunt opinionibus minus probabilibus, & juxta has dispensarunt: ergo. prob. antec. Honorius II. Clemens II. dispensarunt in voto solemnium Religionis ad contrahendum matrimonium, item S. Pius V. Gregorius XIII. & alii dispensarunt in matrimonio rato, ad contrahendum aliud: quod tamen tantum fuit minus probabiliter in eorum potestate: imò Adrianus VI. dicitur, in matrimonio rato, contra propriam sententiam, juxta opinionem Cajetani dispensasse, sed addidisse, dare se, quod posset, & tamen credere, se nihil posse: ergo ipsi Pontifices usi sunt opinionibus minus probabilibus.

Resp. cum Ralslero, & Kreslinger, dist. antec. Summi Pontifices usi sunt opinionibus, quae aliis tunc videbantur notabiliter minus probabiles. om. antec. quae ipsismet Pontificibus, consideratis omnibus circumstantiis, videbantur notabiliter minus probabiles. neg. antec. & conseq. Imò, cum hic agatur de valore Sacramenti matrimonii, debent ipsi adversarii idem respondere. Quod attinet ad Adrianum, dispensavit is tantum conditionate, quod se posse ipsi certum fuit, attentis circumstantiis omnibus. Pariter, quando antiqui docuerunt aliquid, quod nunc videtur, vel visum est, minus probabile, non sequitur, quod etiam ipsis tale fuerit visum. vide etiam inferius n. 405.

Similiter, etsi quidam antiqui, quasdam sententias tanquam probabiliores amplexi, permiserint tamen aliis, amplecti oppositas, & iis uti, propterea non credendi sunt, usum illum permisisse, etiam iis, quibus ex sententia minus probabiles viderentur, sed tantum iis, quibus illae sententiae apparerent magis, vel saltem aequè probabiles, quales supponebant, posse aliis videri: atque adeò eas, ut absolute improbabiles, condemnare ausi non sunt. Eodem modo, quando antiqui permiserunt simplicibus, ut sequerentur viri docti judicium, non approbarunt propterea etiam sententiam talis viri minus probabilem: sed tantum dixerunt, simplices posse illam sequi, si scilicet eam ipsos doceret vir doctus, de quo non haberent suspicionem, quòd velit ipsos fallere, aut quòd fallatur: verbo, in iis circumstantiis, sapissime occurrentibus, in quibus simplex non tenetur plures interrogare, sed potest consilio prudentis viri acquiescere; hoc enim frequentissime cum posse, est probabilissimum.

371. Dices 2. Obligatio, quam asserimus,

esset juris naturae, & ad omnes homines spectaret, atque ad plurimas actiones se extendere: ergo non potuisset latere viros tam doctos tanto tempore. Resp. Sicut juxta adversarios potuit longè diutius latere licentia sequendi opinionem minus probabilem, ita potuit etiam longo tempore latere obligatio sequendi opinionem notabiliter probabiliorum. Nec est in uno major, quàm in altero inconvenientia, respectu DEI, aut error respectu Ecclesiae. Unde, quidquid adversarii responderint, serviet etiam nobis. Si ergo probatur ea obligatio dari, & simul probatur, aliquamdiu latuisse, merito negatur consequentia. videantur etiam dicta n. 368. & 260. Accedit, quòd non omnes omnino latuerit ea obligatio, saltem non valde diu, ex supra dictis num. 351. & modò etiam plurimos non lateat.

ARTICULUS XVII.

Solvuntur aliae Objectiones.

372. **O**B. 3. Quando est adhuc verè Theologicè, & comparative probabile, legem non dari,

quamvis sit notabiliter probabilis, eam dari, tamen adhuc lex est dubia: sed dubia lex, ut ipsi fuisse probavimus à n. 263. non obligat: ergo. prob. ma. Theologica probabilitas vera nititur tali motivo, quod movet saltem adhuc ad prudens dubium, & non finit oppositum esse certum: ergo. Resp. dist. ma. in eo casu tamen lex est dubia, dubio excludente certitudinem moralem strictè dictam, conc. ma. est dubia, dubio excludente moralem certitudinem, etiam latius dictam, qualis in moralibus ordinariè tantum haberi potest, & sufficit. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob. dist. eodem modo antec. & neg. conseq. videantur dicta à n. 361.

373. Dices 1. Antiqui per probabilius, asserens certitudinem aliquam moralem, etiam latius dictam, intellexerunt tale probabilius, quod non relinqueret morale dubium in oppositum, sed tantum dubium aliquod logicum, quod essentialiter oritur, ex ipsa incertitudine motivi probabilis, etiam absque ratione ulla gravi in oppositum: ergo illud necdum erat juxta antiquos moraliter certum, etiam latius loquendo, contra quod stabat adhuc ratio verè Theologicè probabilis. Ita quidam recentior, existimans, hac ratione concordari posse, ut ait, probabilistas, & probabilioristas. Resp. neg. antec. quod falsum esse ostenditur, ex allatis verbis auctorum à n. 361. & seq. S. Thomas tantum exigit, ut sit verum in pluribus, quamvis non in paucioribus, nec dicit in plurimis, aut paucissimis; cum tamen certitudo, quam adversarii requirunt, utpote excludens omne quomodocunque prudens dubium, rarissime, & in paucissimis fallat. S. Antoninus, & Angelus, exigunt tantum, ut motiva magis ad unam, quàm ad alteram partem se habeant: hoc autem nullo modo est excludere probabilitatem, vel dubium quomodocunque prudens, in oppositum. Gerson expressè dicit, non debere removeri omnem